æstimationem passim adhibere, ut modo dictum est. Quasi quidem non alia de causa numerum 16 numero 4 majorem censeamus, quam quòd ille, numeri 2 sit potestas secunda, sive Quadratum; hic, quarta, sive Biquadratum: Et, eadem de causa, numerum fractum $\frac{1}{16}$ majorem quam $\frac{1}{4}$, quia radicis $\frac{1}{2}$, ille quidem quadratum, hic biquadratum: Duorum vero, fracti nempe $\frac{1}{4}$, & integri 4; aut etiam fracti $\frac{1}{2}$, & integri 16; neutrum majorem esse, aut minorem, putandum sit; quia nullius radicis, sive integræ sive fractæ, uterque possit potestas esse. Quæ omnia quam absurda dicta sint nemo non videt. Nam (præterquam quod falsum sit, numerum $\frac{1}{16}$ majorem esse quam $\frac{1}{4}$ partem toto; item, numerorum 4 & $\frac{1}{4}$, vel $\frac{1}{2}$ & 16, neutrum majorem minoremve esse;) considerationis est omnino extraneæ ad numerorum inter se majoritatem, aut minoritatem, sive excessum & defectum, æstimandum, quod sint tertii alicujus, forinsecus assumendi, potestas aliqua. Et quidem non magis est essentiale numero 64, ut sit potestas secunda, puta radicis 8; quã ut sit potestas tertia puta radicis 4; aut etiam sexta, radicis 2; sed & quarta, radicis $\sqrt{8}$ sive $2\sqrt{2}$; & quinta, radicis $\sqrt[5]{64}$; aut duodecima, radicis $\sqrt{2}$; item prima, radicis 64; & subsecunda, radicis 4096; & subtertia, radicis 262144; & potestas subsesquialtera, sive subsemitertia, radicis 512: & sequitertia, sive quartæ subtertia radicis, $16\sqrt{2}$. Et sic in infinitum. Quodque de radicis numerosæ potestatibus dictum est, id universim valet de cujuscunque generis aliis, & speciatim, de Rationibus, gradatim multiplicatis. Adeoque omnino ineptissimum est, earum magnitudines, ab eo quem habent potestatis gradu æstimare. Addo in super, superiorem potestatem sive gradum nonnunquam minoris esse magnitudinis: Nec quidem sumptis tantum variis radicibus, puta 16, quadratũ numeri 4, majorem esse quam est 8, cubus numeri 2; sed & eadem sumpta radice, quæ putà minor sit quam 1. Nam radicis $\frac{1}{2}$, potestas tertia, seu cubus, $\frac{1}{8}$, minor est quam ejusdem quadratum $\frac{1}{4}$: Eodem plane modo quo radicis sive rationis expositæ $\frac{1}{2}$ (subduplæ) ratio triplicata sive potestas tertia $\frac{1}{8}$ (suboctupla,) minor est quam ejusdem ratio duplicata, sive potestas secunda $\frac{1}{4}$ (subquadrupla;) utut illa superioris gradus, sive denominationis, potestas sit; hæc inferioris.